

602. Colligentes. Tales censentur ii tantum qui ex industria sat magnum numerum eleemosynarum apud plures fideles quaerunt; non autem qui tantum accipiunt Missarum eleemosynas a sponte offerentibus, vel qui eas tantum ab uno vel altero colligunt, vel etiam qui non nisi pauca stipendia, etiam cum notabili lucro, quaerunt. (D'Annib. et Hilarius a Sexten, in h. l.) Ut enim liquet ex Const. Bened. XIV *Quanta cura* (30 Jul. 1741), a qua praesens censura desumpta est, abusus eliminandus in quadam *mercatura* de Missarum eleemosynis instituta consistit. Adverte tamen praesentem excommunicationem spectare ad omnes, seu laicos, seu clericos, dum in cit. Const. Bened XIV clericorum suspensione tantum puniebantur.

Pro Missis. Intelleguntur Missae manuales, non autem stricte fundatae, seu beneficio adhaerentes. Hunc enim sensum suadent vox *Colligentes* et decreta prohibentia ne pars stipendi ad alios transmissi retineatur, quae de solis Missis manualibus procedunt. (n. 231) His tamen, cum communis interpretum sententia, accensendas ducimus Missas simpliciter fundatas, quae scil. neque beneficii rationem habent, neque alicui beneficio adhaerent.

Et ex iis lucrum captantes. Manifestum est non agi de casibus in quibus licet aliquam stipendi partem sibi retinere. (n. 231) Neque censura plectuntur quicumque illicite aliquam partem eleemosynae retinuerint, ex. gr. ut eam in pia opera impendant: hi enim *lucrum* non faciunt. Oportet ergo ut eleemosynarum collector partem earum non exiguum tamquam suam retineat. Quanta autem summa requiratur ut excommunicatione incurritur, stricte determinari nequit. Videndum in singulis casibus num summa retenta proprio sensu lucrum alicujus momenti dici mereatur. (Penn. in h. l.)

Faciendo eas celebrari... solent. Hinc communius concludebant interpres hujus Bullae censuram non incurri ab iis qui Missas celebrari faciunt in eodem loco quo collectae sunt: quae opinio reapse melius cum verbis Pianae Const. conveniebat. (Piat. in h. l.) Nihilominus alii contrarium opinabantur (Avanz. Comm. in h. l.), nixi praesertim cit. Const. Bened. XIV, quae diserte excommunicabat facientes Missas celebrari "sive ibidem, sive alibi." Posteriorem sententiam approbavit S. Inqu. 13 Jan. 1892 (Coll. P. F. n. 2166), dum respondit excommunicationi subjacere qui Missas, pro quibus eleemosynas colegerunt, celebrari faciunt in eodem loco ubi eas colegerunt.

Nondum satis constat num censuram incurrant qui Missarum eleemosynas in una regione collectas tradunt sacerdotibus alias regionis, dato specie tenus eodem stipendio, puta 2 francis, sed retento sibi lucro quod proveniat e mutato aere prioris regionis cum aere alterius, in qua minor est monetae copia. S. C. C. de quodam particulari casu interrogata,

21 Nov. 1898 respondit: "Recurrat in casibus particularibus." Hanc industriam illicitam esse eodem responso declaratum est. Revera enim continet aliquam negotiationem scandalosam circa Missarum stipendia. Immo, casum hunc censurae tenore comprehendi opinamur: reapse enim datur stipendum minoris valoris *realis*, et quidquid tamquam lucrum retinetur detractum est stipendio a fidelibus dato.

XIII.

Omnis qui excommunicatione multantur in Constitutionibus S. Pii V *Admonet Nos*, quarto Kalendas Aprilis 1567, Innocenti IX, *Quae ab hac Sede*, pridie Nonas Novembris 1591, Clementis VIII, *Ad Romani Pontificis curam*, 26 Junii 1592, et Alexandri VII, *Inter ceteras*, nono Kalendas Novembris 1660, alienationem et infederationem civitatum et locorum S. R. E. respicientibus.

603. His Constitutionibus excommunicantur qui tractant vel consilunt de alienandis aut infelandis civitatibus et locis S. R. E. et ea de causa oratores eligunt qui ad S. Sedem mittantur; item qui hujusmodi alienationes Rom. Pont. suadent, licet nihil ab eo obtineant.

Potissima quaestio practica quae de praesenti censura agitur, haec est: num eam incurrat qui, temerario ausu, R. P. consulat ut se cum Italico gubernio reconciliet, abdicatis juribus S. Sedis ad civilem potestatem, Negant plures (D'Annib. Comm. in h. l.; Penn. I. p. 1013): quae in cit. Constitutionibus RR. PP. agebatur tantum de variis investiturarum modis et nominibus, non autem de alienatione proprie dicta, quae sola hodie consulitur. Praeplacet tamen sententia contraria (Piat. Comm. in h. l.): quia, cum Rom. Pont. jus suum integrum servet, talis abdicatione, quoad rem, foret vera alienatio et in se contineret quidquid per antiquos modos alienationis vel infederationis hic citatos fieri potuisse. Practice, cum utraque sententia probabilis sit, censura non esset urgenda.

XIV

Religious praesumentes clericis aut laicis extra casum necessitatis sacramentum extremae unctionis aut Eucharistiae per Viaticum ministrare absque parochi licentia.

604. Religious. Hoc nomine, cum in odiosis versemur, ii tantum veniunt qui *certo et stricte* Regulares vocantur. Cfr. n. 74. Igitur censuram istam non incurrent novicii, neque probabiliter professi votorum simplicium, extra Soc. Jesu; multo minus qui vota simplicia in Congregationibus religiosis emiserunt. Insuper probabiliter excipit

D'Annib. (Comm. in h. l.) Regulares qui, legibus inquis e monasterio extrusi, foris quasi presbyteri saeculares vitam agunt.

Praesumentes. Excusat ergo quaelibet ignorantia, etiam affectata. (n. 570. II)

Clericis aut laicis. Igitur a censura immunes sunt qui ultima sacramenta ministrant religioso alterius Ordinis vel novicio, aut iis familiaribus qui, saltem probabiliter, Regularium exemptionem communicant. (n. 338) Eam incurront qui sacramentis morientium muniunt alias laicos vel clericos saeculares qui, in conventu commorantes, gravi morbo correpti sunt, nisi moribundi in hoc loco peregrini sint ideoque ibidem proprium parochum non habeant. (D'Annib. Comm. in h. l.)

Extra casus necessitatis. Ut iste casus exsistat, necesse est, ex parte aegroti, ut in proximo mortis periculo versetur; ex parte parochi, ut nequeat vel nolit tempestive adesse ad sacramenta conferenda. Insuper in casu necessitatis versari videtur infirmus qui indigne Viaticum suscepit ideoque divino pracepto non satisfecit, postea autem religiosum advocat cui sacrilegium confitetur: alia enim via non videtur superesse ut Viaticum sine infamia suscipiat, quam ut S. Eucharistia ad eum occulte ab eodem religioso deferatur. (Piat. Comm. in h. l.)

Sacramentum extremae unctionis aut Eucharistiae per Viaticum. Itaque abolita est excommunicatio antiquo Jure lata contra Regulares qui, sine licentia parochi, administrabant communionem paschalem vel benedictionem nuptialem impertiebant. Viaticum autem intellegitur tantum de ea communione qua divino pracepto satisfiat in mortis articulo, minime vero de ea quae praeterea e devotione accipiatur ab eodem aegrotante, licet ob perdurans mortis periculum communicet non jejunus.

Absque parochi licentia. Parochus hic intellegitur qui animarum curam gerit, sive sit parochus proprie dictus, sive ejus vices gerens, etiam ad tempus. Sufficit quoque licentia Ordinarii loci. Ubi nondum erectae sunt paroeciae, licet jura eorum qui ibi curam animarum gerunt violentur a Regularibus, non videtur incurri haec censura, quae lata est ad tuenda jura eorum qui proprie dictas parochias administrant, ideoque applicationem non habet in locis quae parochiis destituantur. Ubique excusat licentia quaelibet, etiam non expressa, sed rationabiliter praesumpta: nihil enim speciale in Bulla de licentiae hujus qualitate determinatur.

XV.

Exrahentes absque legitima venia reliquias ex sacris Coemeteriis sive Catacombis Urbis Romae ejusque territorii, eisque auxilium vel favorem praebentes.

XVI et XVII.

Communicantes cum excommunicato nominatim a Papa in crimen criminoso, ei scilicet impendendo auxilium vel favorem.

Clerici scienter et sponte communicantes in divinis cum personis a Romano Potifice nominatim excommunicatis, et ipsos in officiis recipientes.

605. Ambae censurae ad idem argumentum referuntur: ad communicationem cum iis qui nominatim a R. P. excommunicati fuerint, ideoque et vitandi sint. Non comprehendi communicationem cum iis qui a Romanis Congregationibus, etiam approbante earum decretum R. P. excommunicati fuerint, declaravit S. Inqu. 16 Jun. 1894. (Act. S. S. t. 39. p. 123) Quid necesse sit ut quis nominatim excommunicatus exsistat, dictum est n. 581.

Prior censura afficit omnes sive clericos, sive laicos. Incurritur autem ob solam communicationem *in crimen criminoso*, vid. ob cooperacionem in ipso scelere propter quod alter excommunicatus fuit, puta si quis excommunicato propter furtum sacrilegum suadet ut non restituat. Neque incurritur propter quamlibet hujusmodi communicationem, ut antea contingebat, sed tantum propter eam qua alteri in crimen criminoso auxilium vel favor praestetur. Manifestum est verba Bulvae non verificari, ac proinde per se nullam censuram incurri, si quis alium adjuvat ad patrandum delictum, quo patrato nominatim excommunicandus est.

Posterior censura afficit solos *clericos*: quae vox hic stricte sumenda est, ac proinde probabilius nec episcopos nec Regulares, etiamsi clericis sint, comprehendit. (Penn. I. p. 1055) Actio autem quae excommunicatione punitur, est *communicatio in divinis et receptio in officiis divinis*: quae duo, ex antiquis legibus hic renovatis et specialim ex Decr. I. 5. t. 39. c. 18, ita videntur intellegenda ut sola communicatio in divinis quae nunc sub censura prohibeatur, sit receptio in divinis officiis. Jamvero recipere in divinis officiis, juxta sententiam certe probabilem (D'Annib. in h. l.; Ball. P. n. 469), idem est atque admittere excommunicatum ad obeunda illa divina officia quae clerici obeunt, tamquam Ecclesiae ministri. Quare oportet ut is quocum communicatur, et ipse clericus sit, aeque ac eum admittens. Igitur probabiliter a censura immunes forent qui tales excommunicatum ad Missam audiendam admisissent, cum eo privatim officium divinum recitassen, etc. Tandem, cum addantur in hac posteriore censura verba *scienter et sponte*, excusarentur a censura clericis qui eum admitterent cum ignorantia etiam affectata (n. 570. II), vel ex metu levi.

XVIII

Absolvere praesumentes sine debita facultate, etiam quovis praetextu eos qui excommunicationem specialiter Rom. Pont. reservatam insurrerint. (Ex Bulla *Apostol. Sedis*)

Quandonam liceat a casibus specialiter reservatis absolvere, dictum est n. 574.

XIX.

Si quem clericorum vel laicorum, quacumque is dignitate, etiam imperiali aut regali praefulgeat, in tantum malorum omnium radix cupiditas occupaverit, ut alicujus ecclesiae, seu cuiusvis saecularis vel regularis beneficii, Montium pietatis aliorumque piorum locorum jurisdictiones, bona, census ac jura, etiam feudalia et emphyteutica, fructus, emolumenta seu quacumque obventiones, quae in ministrorum et pauperum necessitates converti debent, per se vel alios, vi vel timore incusso, seu etiam per suppositas personas clericorum aut laicorum, seu quacumque arte, aut quocumque quaesito colore in proprios usus convertere, illosque usurpare praesumpserit, seu impedire ne ab iis, ad quos jure pertinent, percipiantur: is anathemati tamdiu subjaceat, quamdiu jurisdictiones, bona, res, jura, fructus et redditus quos occupaverit, vel qui ad eum quomodocumque, etiam ex donatione suppositae personae, pervenerint, Ecclesiae ejusque administratori sive beneficiato integre restituerit ac deinde a Rom. Pont. absolutionem obtinuerit. (Trid. Sess. 22. de ref. c. 11)

606. Hac censura Tridentinum intendit tueri bona ecclesiastica quaelibet, pertinentia sive ad ecclesias vel monasteria, sive ad beneficia saecularia vel regularia, sive ad loca etiam pia, i. e. ad instituta quorum bona ab Ecclesia, vel saltem cum dependentia ab Ecclesia, administrantur. Verum hoc decreto non proteguntur loca ad finem quidem pium erecta, ex. gr. nosocomia, sed quorum bona, sine ullo respectu ad auctoritatem ecclesiasticam administrantur. Haec enim non dicuntur stricto sensu loca pia. (Penn. I. p. 369; Piat. in h. l.) Insuper probabilius Trid. hic ea bona tantum tueri intendit quae magni momenti sunt, vid. immobilia vel mobilia pretiosa (D'Annib. in h. l.; Penn. II. p. 325): quod satis elucet e sollemni ratione qua hoc caput Trid. inchoatur, et e severitate poenae.

Non una est interpretum mens de actionibus quae praesenti censurae subjiciantur. Alii (Piat. in h. l.) verba Trid. *in proprios usus convertere, usurpare, impedire ne ab iis ad quos jure pertinent, percipiantur,* tam late interpretantur ut quoslibet praedicta bona surripientes, etiam fures, comprehendant. Alii rectius (D'Annib Comm. n. 88. nota 40) ea verba restringunt ad eos qui eadem bona auctoritative et cum potentia occupant, vel ab his qui ita auctoritate sua abusi sint,

quacumque ratione obtinent, non excluso clero qui "nefandae fraudis et usurpationis hujusmodi fabricator seu consentiens fuerit." (Trid. l. c.) Haec enim sententia melius congruit cum verbis Concilii, quod nimis sollemniter loquitur quam ut de ordinariis furtis explicetur et expresse nominat imperiali aut regali dignitate praefulgentes. Ad proxim praelestim attende in eam excommunicationem incidere ementes bona ecclesiastica a guberniis aliis auctoritatibus quae ea usurpaverint. (S. Inqu. 8 Jul. 1874) Attamen excusari videtur qui talia bona una cum aliis, a quibus divelli non possent, emeret, ex. gr. inter reliqua bona Titii, aere alieno oppressi, quae per modum unius vendantur. (Penn. I. c. p. 318)

TERTIA SERIES.

Excommunicatio Episcopis sive Ordinariis reservata ligat: (1)

I.

Clericos in Sacris constitutos vel Regulares aut Moniales post votum solleinne castitatis matrimonium contrahere praesumentes: necnon omnes cum aliqua ex praedictis personis matrimonium contrahere praesumentes.

607. Clericos... castitatis. Ex his verbis perspicuum est praesenti censurae minime subjacere clericos in minoribus tantum ordinibus

(1) Hi casus potius papales quam episcopales dicendi sunt, cum censura reservetur ab ipso R. P. qui facultatem ab ea absolvendi episcopis concedit. Juxta sententiam quam S. Alph. (l. 7. n. 99) tamquam probabiliorum sequitur, ab iis absolvere possunt Regulares: quia specie tenus contrariae declarationes S. Sedis (n. 346) videntur intellegendae tantum de casibus quos ipsi Ordinarii sibi reservarunt. Neque revocata est haec facultas per Const. *Apost. Sedis*: quippe quae revocat tantum facultates absolvendi a censuris S. Sedi reservatis. (Comp. Priv. Soc. Jesu, n. 5) Excipit S. Alph. (l. c.): si episcopus easdem censuras rettulit inter casus a se reservatos. Haec tamen exceptio illogica videtur. Nam, ut advertit Piatus (Prael. Jur. Reg. II. p. 385. nota 10), qui privilegium Regularium penitus cessasse opinatur: "Si vi privilegiorum ab hoc (abortus) crimine absolvere possint Regulares, eadem ipsis maneret potestas, etiam in hoc casu: episcopi enim usum privilegiorum Regularium impedire nequeunt." Cfr. Ball. P. de Poenit. n. 777 seqq. Attamen, ubi Ordinarius hos casus reposuit inter eos qui ipsi sunt reservati, Regulares ab iis absolvere non possent, si ob ignorantiam censura non fuisset contracta: tunc enim speciali facultate absolvendi a casibus Ordinario reservatis indigerent, ut supra (n. 586) dictum est de peccatis haeresis vel apostasiae.

T. II.

constitutos vel Regulares simplicibus tantum votis ligatos, ex. gr. Scholasticos Soc. Jesu, etiamsi matrimonium ab iis attentatum, ex speciali privilegio, nullum esset (n. 473); item nec moniales sollemni voto carentes.

Matrimonium contrahere praesumentes. Igitur ad censuram incurriendam non sufficit ut in concubinatu vivant vel sponsalia ineant; sed requiritur ut ex ultraque parte datus fuerit consensus verus et jure naturae validus. Quodsi, una cum impedimento ordinis vel voti sollemnisi, aliud intercederet, puta consanguinitatis vel affinitatis, contraheretur censura. Ita enim respondit S. Inqu. 13 Jan. 1892 (Act. S. S. t. 24. p. 625); ac proinde dimittenda videtur opinio contraria quam plures AA. graves (D'Annib. in h. l.; Penn. II. p. 15 seqq.) tenebant, ea ducti ratione quod poenas non incurvant qui actum de se nullum ponant. Similiter, ex resp. S. Inqu. 22 Dec. 1880 (Coll. P. F. n. 2089), tenendum est censuram hanc incurri si attentetur a supradictis personis matrimonium civile, etiam in iis locis ubi viget decretum Tametsi. Hoc responso veram fieri extensionem legis ad easum qui stricte sub verbis Bullae non contineantur, haud immerito censem plures AA. (Penn. II. p. 22) Fatendum tamen est per opinionem contrariam, quam velut indubiam quidam tuebantur (D'Annib. in h. l.), pene omnem vim practicam huic censurae adimi, cum vix aliter quam coram civili magistratu matrimonium istud sacrilegum attentari possit.

II.

Procurantes abortum, effectu secuto.

608. Procurantes abortum. Vox *abortus* stricte intellegenda est, prout definita est Vol. I. n. 374. Quare hac censura non comprehenditur acceleratio partus, nec craniotomia neque expulsio seminis, antequam de secuta impregnatione constet. Deinde, cum *procurare* ii tantum proprie dicantur qui studiose et ex industria aliquid quaerant, feriuntur ii tantum qui abortum directe voluntarium causant, minime vero qui actionem, etiam graviter malam, ponunt ex qua per accidens sequatur, ex. gr. dum mulierem praegnantem graviter percutiunt ex ira, odio, etc. (D'Annib. Comm. in h. l.) Parum refert utrum abortus ex causa physica, ex. gr. ictu vel veneno, an ex causa morali, ex. gr. incusso terrore, secutus sit. Neque distinguendum inter foetum animatum et inanimatum: nam, licet antiquitus Gregor. XIV (Const. *Sedes Apostolica*, 31 Maii 1591) solam ejectionem foetus animati censurae subjicerit, Pius IX hanc distinctionem, utpote a doctrina recentiorum physicorum alienam, omisit.

A censura hodie excusantur abortum consulentes vel procuranti opem ferentes, cum hic fuerint praetermissi; juxta plures (D'Annib. in

h. l.; Penn. II. p. 36 seqq.), etiam ii qui, mandata alterius exsequentes, faciunt ut mulier foetum abigit: quia procurantes hic, ut in veteri jure, accipere debemus, non eos qui pro alio, sed eos qui sive per se, sive per alium curant, faciunt ut mulier ejiciat. Hinc a censura excusandi videntur medici et obstetrices qui abortum inducunt unice ut patri vel matri obsecundent: licet enim libere agant, sunt tamen veri mandatarii, cum alieno nomine agant (Vol. I. n. 536); contrarium vero dicendum est, si sponte idem scelus patrant, ut alterutri parenti grati sint. Controvertitur vero inter AA. num mater sibi abortum procurans excommunicationem incurrat. Probabilis affirmandum est, quia lex inter procurantes non distinguit. (D'Annib. in h. l.) Alii tamen (Penn. II. p. 42) saltem probabile putant matrem a censura excipi, quia multi AA. et speciatim S. Alph. (l. 4. n. 395), probabilis censem eam exceptam fuisse ab excommunicatione ante editam Bullam *Apost. Sedis*; nec constat Pium IX voluisse censuram ad casum hunc, antea exceptum, extendere. Insuper arguunt e praesumpta voluntate R. P. qui noluerit censura innodare illas matres, quia si a tanto facinore non abhorrent, facile etiam excommunicationem parvi penderent, unde etiam imminent pericula sacrilegarum confessionum. Haec tamen ratio nulla videatur: nam prior ejus pars fere omnes censuras inutiles esse probaret, posterior vero falso supponit mulieres illas non objici eidem periculo sacrilegii in ultraque sententia, cum aeque possint falso pudore a confitendo peccato suo prohiberi, seu incurrint seu non incurrint censuram. Ceterum, cum consentiant AA. matrem a censura immunem esse quando metu gravi ad abortum sibi procurandum inducta fuerit (qui casus frequentior est), non adeo latum discrimin inter utramque sententiam intercedit.

Effectu secuto. Ergo non incurritur excommunicatio nisi cum reapse e medio adhibito secuta sit immaturi foetus ejactio et constet eam non esse ex alia qualibet causa secutam. (D'Annib. in h. l.)

III.

Litteris Apostolicis talsis scienter utentes vel crimini ea in re cooperantes.

IV.

Laicos violantes decretum S. C. C. 9 Septembris 1874 circa eleemosynas Missarum.

Haec censura addita est ope decreti quod S. C. Concilii, cum speciali approbatione Leonis XIII, edidit 25 Maii 1893. (Act. S. S. t. 25. p. 56 seqq.) Quid in decreto 9 Sept. 1874 prohibeat, dictum est n. 232. IX.